

VERSION LATINE 3
TACITE, *Annales* (*Annales*), XV, 63-64
Le suicide de Sénèque et de son épouse Pauline

Alors qu'il s'était retiré de la vie politique pour se consacrer à l'écriture, Sénèque le Jeune, le philosophe et dramaturge qui occupa un temps la charge de précepteur puis de conseiller de l'empereur Néron, fut compromis par son amitié avec Pison, qui menait une conjuration contre le pouvoir, et reçut l'ordre de se suicider. Son épouse, Pauline, décida de le suivre dans la mort.

[63] (1) Vbi haec¹ atque talia uelut in commune disseruit, complectitur uxorem, et, paululum aduersus praesentem fortitudinem mollitus, rogat oratque temperaret dolori, ne aeternum susciperet, sed in contemplatione uitae per uirtutem actae desiderium mariti solaciis honestis toleraret. Illa contra sibi quoque destinata mortem adseuerat manumque percussoris exposcit. (2) Tum Seneca, gloriae eius non aduersus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret : « Vitae, inquit, delenimenta monstraui tibi, tu mortis decus mauis ; non inuidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine. » Post quae, eodem ictu brachia ferro exsoluunt. (3) Seneca, quoniam senile corpus et parco uictu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum uenas abrumpit ; saeuisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse, uisendo eius tormenta, ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. Et, nouissimo quoque momento suppeditante eloquentia, aduocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quae, in uulgus edita eius uerbis, inuertere supersedeo.

[64] (1) At Nero, nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret inuidia crudelitas, <iubet> inhiberi mortem. Hortantibus militibus, serui libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae : (2) nam, ut est uulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petiuisse, deinde, oblata mitiore spe, blandimentis uitae euictam. Cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria, et ore ac membris in eum pallorem albentibus ut ostentui esset multum uitalis spiritus egestum. (3) Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Staium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat prouisum pridem uenenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio exstingerentur, promeret ; adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus et cluso corpore aduersum uim ueneni. (4) Postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos seruorum, addita uoce libare se liquorem illum Ioui Liberatori. Exim, balneo inlatus et uapore eius exanimatus, sine ullo funeris sollemni crematur ; ita codicillis praescripserat, cum, etiam tum praediues et praepotens, supremis suis consuleret.

¹ Sénèque vient d'exhorter les amis qui sont présents à ses côtés à faire preuve de fermeté d'âme et de sagesse.